Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

MEDICAMENTIS SPECIFICIS, EORUMQVE AGENDI MODO,

Quam

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris

Brandenb. Clementia,

Conſenſu & juſſu Nobiliſſimor. Dnn. Medicorum

SVB PRÆSIDIO

DN. FRIDERICI HOFFMANNI, D.

Medici Electoralis Brandenb. Medicinæ, rerumque natural. Prof. Publ. & Ordinar.

PROMOTORIS MEORUM STUDIORUM pl. OBSERVANDI,

Pro Summis Artis Medicæ Honoribus

Solenniſſimis hujus Academiæ Auſpiciis

more majorum & ritè obtinendis

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

Solenni & publico Eruditorum examini

IN AUDITORIO MAJORI

exponit

JOHAN. CHRISTOPH. KLIMMIUS, Thuring.

d. 18. Jun. Anno M DC XCIV. Horis ante- & pomeridianis

Typis CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typogr.

§. I.

NIhil æque commendat medicum, eique ſplendorem & decus conciliat, atque ſi exquiſitiſſima præſentiſſimorum medicamentorum ſupellectile, ſive ὕλη βοηθημάτων, inſtructus, eam prudenter & dextre applicare ac ferme innumeris ſanitati inſidiantibus ac oppugnantibus hoſtibus apte opponere novit. Haud immerito à priſcis ſapientibus iſta Θεῶν χεῖρες appellata fuere, ut hominibus inculcarent, ea ſumma cum reverentia & cautiſſime eſſe adhibenda; id quod ſi ſecus fiat, ſunt inſtar gladii in dextera furioſi. Medicinæ enim facultas ac ἐνέργεια non tam ſibimetipſi, quam rationi, & perſpicaci medici judicio debetur: hinc experimur, unum idemque remedium, quod uni ſubjecto, imo multis, mirifice profuit, alteri non rite, ac circumſpecte exhibitum, maxime offuiſſe, malignique veneni naturam induiſſe. Sicuti in Catoprice objectum ex uno latere vitri viſum inſtar monſtri apparet, ex altero autem genuina repræſentatur figura: ita pharmacum, pro varia corporum conſtitutione, vel φθαρτικὸν ac peſtilens virus, vel ἀλλοιωτικὸν τῆς φύσεως ac ſalutaris panacea eva-

dere poteſt. Ut igitur viribus, ac dotibus, divinitus iisdem conceſſis legitime, & ex divino inſtituto utamur in tot morborum generibus profligandis, & ab humano corpore arcendis, neceſſe eſt, ut medicamentorum facultates vel δυνάμεις probe ſint nobis perſpectæ ac exploratæ, in quonam conſiſtant, quave ratione ſuos in corpus, ejusque affectas partes edant effectus. Quanquam enim naturalem machinæ noſtræ earumque partium læſarum conſtitutionem exacte teneas, ac præter naturalem cum ejus cauſis ſtatum per ſigna ſenſibus manifeſta ac pathognomonica ſolerter & accurate detexeris & intime cognoveris, atque omnibus, quæ ad bene medendum faciunt, inſtructus ſis ſubſidiis, nequaquam tamen indicationibus rite ſatisfacturus es, morbumque curabis, niſi probe ſcias, quomodo agant medicamenta. Quamobrem ex Præcepto Galeni mature pernoſcendis medicaminum facultatibus operam collocare debemus, ſi felicem conſiliorum noſtrorum eventum nobis promittere velimus.

§. II.

Verum cum antiqua philoſophandi ratio parum lucis, ad vires remediorum exactius & profundius cognoſcendas, affundere queat, quippe quæ precario ac lubrico fundamento, nempe qualitatibus iſtis famoſis, manifeſtis & occultis, eas ſuperſtruit, nobis confugiendum erit ad illuſtrius ſidus, nimirum ad Mechanicæ naturalis principia, quibus obſcura illuſtrare, occulta detegere, clarius ac certius rerum φαινόμενα explicare, ac aliorum paralogiſmos ad oculum demonſtrare licet. Itaque jam mechanica & medica lance librare & inquirere conſtituimus, utrum medicamenta dentur ſpecifi-

ca,

ca, aut utrum extent ejusmodi remedia, quæ vel certo humori pecanti corrigendo & educendo ſint apta & propria, vel etiam quæ certam corporis partem reſpiciant, eique magis amica aut adverſa, vel denique quæ hunc vel illum particularem affectum peculiari vi ac proprietate curent; & ſi ea dentur, qua ratione δυνάμεις ac vires ſuas exerceant. DEUS Optimus Maximus unicus ille veri autor ac origo, cogitationes noſtras, ac mentem gratiæ ſuæ radiis ita illuminet, ut diſcuſſis errorum tenebris, ſolam ac puriſſimam veritatis lucem videamus.

§. III.

Quo autem omnem ἀμφιβολίαν, ingens ad rem ipſam cognoſcendam obſtaculum, removeamus, explicandum eſt, quidnam hic per ſpecifica indigitemus, quove ſenſu hanc vocem accipiamus. Minime autem per ſpecificum intelligimus hujusce modi remedium, quod ſemper, indubitato, ac in omnibus ſubjectis certum morbum tollat, ac quod nunquam medicum fallat. Hujus generis enim Remedia ac panaceæ, quæ certiſſimos ac optatisſimos ſemper præſtent effectus in curatione morborum, nullatenus dantur. Neque extare medicamenta, quæ omnibus ſatisfaciunt morbi indicationibus, certo colligi poteſt, quia non tantum pro diſpoſitione humorum cauſæ unius morbi variæ, & diſcrepantes, ſed & indicationes auxiliorum ſunt diverſisſimæ; Ita v. gr. in motibus convulſivis motus ſpirituum animalium per genus nervoſum tumultuarii & exorbitantes indicant medicamentum anodynum, quod blande componat ac liget, illosque motus demulceat; materia autem auſtera, tubulos nervorum ac cerebri

minutisſimos obſtruens, exigit, ut ea diſſolvatur ac diſcutiatur, quod priori remedio expediri nequit; fomes vero materiæ morbificæ forſitan in primis viis vel glandulis obſtructis latitans longe aliud efflagitat, nimirum evacuans, quod irritando & vellicando illum ipſum fomitem elutriet ac educat. Itaque videmus in uno morbo tria diverſa ratione operationis indicari auxilia, imo rationi & experientiæ repugnare, dari remedium, quod omnibus morbi indicationibus exacte reſpondeat. Equidem haud ignoramus, ſtrenuos medicinæ univerſalis aſſertores, in corroborationem ſpirituum animalium, qui moderantur ac movent machinam noſtram inque omni morbo patiuntur, ac in ipſa curatione pene omne punctum ferunt, unice eſſe intentos ac defixos. Neutiquam tamen veriſimile eſt, dari medicamen, quod ſpiritus animales omni in morbo imbecillos ac debiles factos in ſubſtantia ſua augeat, & æquabilem motum iis inducat, liquidum enim eſt ſpiritus animales generari ex ſubtilisſima, purisſima & elaſtica aeris portione, & ex delicatioribus ac mobilioribus ſanguinis & ſeri particulis. Quæcunque igitur ad aerem puriorem reddendum faciunt, & ſanguinem laudabilem ſuppeditant, illa ad corroborationem ſpirituum, ſanitatem, utique multum conferre poſſunt; e. gr. exacta diæta, aer temperatus ac purus, ac moderatus & legitimus reliquarum rerum non naturalium uſus. Cum autem hæc requiſita ad ſpiritus animales puros ac ſerenos efficiendos, eorumque motum æquabilem reſtituendum in nullo medicamento deprehendere liceat, merito de ejusmodi medicina univerſali deſperamus.

§. IV.

§. IV.

Itaque per ſpecifica ea remedia intelligo, primo quæ certum quendam humorem magis reſpiciunt, eumque vel corrigunt, alterant, vel evacuant. Deinde, quæ huic vel illi parti corporis v. gr. cerebro, nervis, pulmonibus, teſtibus &c. magis conveniunt, eique amica. Ultimo, quæ morbum quendam peculiarem, ut febrem epilepſiam, arthritidem, calculum, luem veneream ſæpisſime, aut certe plerumque curant, vel inſigniter ægrum allevant, occulta, & nondum explicata virtute, quæque cæteris omnibus longe efficacius operantur. De hiſce autem ultimo ſignificatis ſpecificis imprimis agere jam propoſuimus, utrum videlicet iſta dentur, & quomodo ægros juvent, ac morbum tollant. Operæ tamen quoque pretium erit, antea indagare an medicamenta quædam peculiari humori corrigendo ac alterando magis ſint dicata, & certæ corporis parti magis vel minus proſint.

§. V.

Notisſimum eſt, veteres purgantia appellitare ſpecifica, quæ nempe certum humorem occulta qualitate attrahant & evacuent, unde quædam dixerunt cholagoga, quædam phlegmagoga &c. Verum, quamvis haud admittamus, à purgantibus certum ſaltim humorem eligi, attrahique, & ex corpore eliminari, utpote quæ irritando ac carnoſam fibrillarum inteſtinalium ſeriem ſpaſmodice contrahendo operantur, ſed omnia purgantia, promiſcue & ſine diſcrimine, in inteſtinorum magno canali, & illi appoſitis vaſculis excretoriis contentos ſuccos ac humores evacuare: attamen vero videtur ſimillimum, dari etiam purgantia ſpecifica

ca hoc nimirum ſenſu: ut huic vel illi humori educendo hoc vel illud purgans magis vel minus conveniat, etſi eum non unum ſolum expurget. Ita rhabarbarum in morbis à bile peccante enatis eſſe ſpecificum, ac cæteris omnibus præſtare, teſtantur paſſim obſervationes, dum nempe obſtructiones ductuum biliarium in ictericis optime tolluntur à rhabarbaro, & procul dubio ex hac ratione, quoniam rhabarbarum gaudet particulis ſulphureis ſalinis amaricantibus, cum ipſis bilis corpuſculis, ratione figuræ & magnitudinis, congruis, hinc per poros hepatis, particulæ rhabarbarinæ proportionatæ, in ſanguinem delatæ, tranſcolantur, & ita bili immediate immiſcentur, quam deinceps corrigere & amurcam viſcidam obſtructiones cauſantem detergere queunt. Haud ignotum eſt, acidos humores difficilius purgari, quam ipſum acidum, quia non ſolum ob angulares particulas copioſas ſolidis partibus firmisſime adhæret & ineptisſimum eſt ad motum, verum etiam quia acidum ſal volatile acre cauſticum, in quo maxima purgantium virtus reſidet, figit & enervat; nullum autem remedium magis ex voto ponticos & acidos tales humores expurgat, ſimul illos corrigendo, quam gummata purgantibus immixta; v. g. gummi ammoniacum, ſagapenum, galbanum, bdellium &c. horum enim particulis oleoſis & ramoſis acidum excipitur, & ejus ſpiculis obtuſis edulcoratur, & ad evacuandum redditur aptum, hinc pilulæ ex gummatibus Conerdingianæ, in affectione hypochondriaca, & ubi morbi ab acido oriuntur, inſigne levamen afferre ſolent. Eodem modo folia ſennæ, manna, epithymum, polypodium propter particulas terreſtres

ſtres, alcalicas, & dulces, melancholicos humores corrigendo, illos longe felicius expurgant, quam fortiora. Radix hellebori nigri, ad bilem atram, ſeu ad acidum fixum glutini viſcido immixtum, evacuandum, à veteribus magnopere deprædicatur, non aliam ob cauſam, quam quod helleborus ſalem cauſticum particulis terreſtribus immerſum poſſideat, inde helleborus non tam cito operatur, ſed ejus particulæ cauſticæ, in vitioſis & glutinoſis melancholicorum ſuccis paulo diutius hærent, quos liquefaciunt, ſolvunt, & ad purgationem aptos reddunt. Tamarindi bilem calidam educere dicuntur, quia conſtant ſale tartareo, acetoſo, paululum acredinis in receſſu habente, cujus beneficio ſales volatiles bilioſos ſulphureos figunt, corrigunt, & ad evacuandum diſponunt, hinc non ſine fructu illorum decoctum adhibetur in febribus ardentibus, & in morbis à bilioſorum humorum ferocia ortis. Ulterius in hiſce progredi inſtituti noſtri ratio vetat, abunde tamen ex dictis patet, dari quædam certa purgantia, uni humori evacuando magis appropriata, quam alteri.

§. VI.

Porro quæſtio medica eſt non minimi momenti, an dentur remedia certæ cuidam parti vel viſceri dicata, eique magis vel minus conducibilia, aut noxia. Veteres iſtud conſtantisſime aſſeruerunt, exiſtimantes, viſcus aut partem quandam ex certa quadam συμπαθεια vel cognatione vires medicamenti attrahere, illudque in hac parte ſubſiſtere, & operationes ſuas exerere, neque ultra virtutem diffundere. Verum circulatione ſanguinis & humorum per univerſas corporis partes

 detecta,

detecta, facile ac evidenter demonſtrari poteſt, vires remediorum motu continuo ſanguinis & ſpirituum animalium ad omnes ac ſingulas machinæ partes derivari ac diſpergi, neque medicamena ad unum ſaltim viſcus appellere ac ibi commorari. Quapropter manifeſtum eſt, medicamenta dicta cephalica, quorum virtus ſita eſt in acido nervis infeſto abſorbendo, & in poris nerveorum tubulorum obſtructis reſerandis, itidem quoque eſſe uterina, ſtomachica, & vice verſa: Eodem plane modo medicamenta, quæ v. gr. pleuritidi ſuccurrunt, etiam in angina, eryſipelate, arthritide conducunt, & præſentem ferunt opem. Namque ex ipſis fundamentis *Medicinæ* conſtat & firmum eſt, eandem cauſam morbificam pro diverſitate partium ſolidarum, quibus inhæret, varios morbos producere poſſe; ita v. gr. ſerum acre in pleura pleuritidem, in pulmonibus peripneumoniam, in faucibus anginam, in cutis glandulis eryſipelas, in articulis arthritidem, efficit. Exinde abunde patet, non dari ex mente veterum talia ſpecifica, quæ ſaltim uni parti & uni morbo, nec alteri medeantur. Veruntamen ſi rem penitius inſpiciamus, liquido apparebit, extare medicamenta, quæ uni corporis parti magis conveniant, proſint vel interdum noceant quam alteri; hoc autem dependet à varia & diverſa partium ſolidarum configuratione, quoad ipſos poros, ipſamque texturam, ac ſtamina, è quibus contextæ ſunt; alia enim eſt conformatio & ſtructura oſſium, cartilaginum, nervorum, quam carnis, glandularum, vel membranarum, imo una partis tunica, ratione peculiaris ſtructuræ, ab altera differt. Quamobrem, cum hæ partes ratione diverſitatis poro-

rum

rum, ſubtilitatis vel craſſitiei, fluidi, quod in illis continetur, maxime differant, medicamenta diverſos in partibus ſolent edere effectus; ſic v.g. acidum ventriculo & inteſtinis tenuibus non adeo eſt adverſum, ſed illud optime ferre poſſunt, contra autem ad tunicas craſſorum delatum, motus ſpasmodicos & ingentia tormina excitat; qvare ſi per enemata acetum vini infunditur, inſignes generantur ibi dolores. Eum in finem ſuccos bilioſus magna in copia influit in duodenum, qvo nimia aciditas obtundatur ac enervetur; Veſica ſalſedinem urinæ ſine omni moleſtia ſuſtinere poteſt, qvod ſi vero particulæ quædam ſalis volatilis cantharidum urinæ immixtæ ſunt, vel urina acido ſale imbuta, ſtatim ardor, ſtranguria & acerbiſſimus dolor exurgit, & notabile eſt, per omnes partes cantharidum ſal cauſticum ſine qvadam noxa difficultate tranſire poſſe, exceptis renibus, & veſica, ubi ſæpe ita erodit vaſa, ut mictus ſeqvatur cruentus. Mercurius, externe vel interne corpori applicatus, partibus quæ ex muſculoſis & carneis fibris conſtant, glanduliſque, non nocet, contra oſſibus, cartilaginibus & nervis eſt infenſiſſimus: Ita externe tantum inunctus non ſolum ſtatim gulam & fauces petit, & conſtringit, ſed & ipſa vaſa ſalivalia afficere & vellicare ſolet. Notatu dignum eſt, opium in minima quantitate exhibitum non operari in ſanguinem & partes ſolidas, ſed tantum in ſpiritus animales, illorum motus ad tempus ſufflaminando ac ſuſpendendo. Ita in iis ſubjectis, quæ odoratis læduntur, moſchus vel zibethum &c. ſi utero induntur, nihil quicquam moleſtiæ creant, ſimul atque autem externe exhibentur ac nares afficiunt, ſtatim horrenda

generis nervoſi ſymptomata exoriuntur, uti id in hyſtericis quotidie obvium eſt. Notum quoque eſt, nullum medicamen magis eas excitare ac juvare, quam fumum plumarum perdicum, oſſium, &c. nihilominus tamen iſte fumus, qvi ex particulis ſalinis volatilibus conſtat, coagulatus in ſpiritum, & ſic in forma liqvoris corpori exhibitus, nihil fermè operatur. Quis ignorat oculos etiam corroſiva, vitriolacea, ſpiritus corroſivos acidos, citra ſingulare incommodum pati posſe? contra eos minimo fumo lædi? oſſa, nervos tendines & cartilagines, remediis ſalevolatii oleoſo, balſamico, penetranti, gaudentibus juvari? lædi autem ramoſis, oleoſis, viſcidis? qvia ob ramoſas particulas obſtructiones in exiguis tubulis facile exiſtunt. Obſervatu porro haud indignum eſt, fumum ſaturni, qvem ii qvi has mineras in igne tractare ſolent, (Germanicè die Abtreiber) copioſiſſime haurire debent, valde nocere inteſtinis, & ipſis articulis, hinc illi homines vehementiſſimis doloribus colicis convulſivis, (vulgo Hütten-Katz) contracturis, ac paralyſi pedum ac manuum Hütten-Kranckheit citra aliarum partium incommodum ſunt expoſiti & illis affliguntur.

§. VII.

Sicuti itaqve negari neqvit, & jam ſatis ſuperque probatum eſt, dari qvædam medicamenta, quæ peculiari ratione parti cuidam adverſa ac infenſa ſunt, hinc & veriſimile eſt, extare qvoque remedia, quæ certis partibus appropriata, magis amica ac conducibilia ſunt. Ita ventriculus gaudet acidulis & amaris medicamentis; nervi caſtoreo & ſale volatili blando oleoſo delectantur; renes & viæ urinariæ ſalinis abſterſivis & ſubtilisſimo

ſimo oleo fœtis demulcentur; hepar & bilis amaris, quæ laudabilem bilem conficiunt, qualia ſunt, rhabarbarum, curcuma, centaurium minus, abſinthium; ſpiritus animales reficiunt vapores ſubtiliſſimi, puriſſimi & blandi: Imo quotidie in praxi obvenit, hanc partem affectam in individuis certis ab illo medicamento externo bene ſe habere v. g. à cataplaſmate, emplaſtro, ſpiritu, in aliis non item. Ita in arthritide ſæpe ab emplaſtro anodyno emolliente dolores mitigantur, a liquore autem vel ſpiritu volatili exacerbantur, at in alio ſubjecto contrarium evenit. Teſtes gaudent radice ſatyrionis, quæ longe copioſius generat ſemen, quam alia mucilaginoſa ac gelatinoſa. Roſæ ipſos ſpiritus animales, mentha ſtomachum, crocus pulmones & arteriam aſperam, carminativa inteſtina, juniperina & terebinthina renes & veſicam, caſtoreum nervos, theriacalia ſanguinem, &c. ſingulari vi afficere & ſolari ſolent. Notabile eſt de oſteocolla, illam inſtar cæmenti conglutinare oſſa, ut, monente Hildano, juniores ſucco nutritio abundantes parce illa uti debeant, ne callum nimis generet.

§. VIII.

Tandem quæſtio haud levis ponderis occurrit, an dentur ſpecifica, quæ ſi non ſemper, tamen plerumque & frequentiſſime hunc illumve particularem morbum, uti pleuritidem, epilepſiam, febres, luem veneream certa ac peculiari quapiam proprietate curent, & quomodo operentur. Priusquam autem hanc quæſtionem ſolvamus, opus erit primo inquirere, quomodo agant in corpus noſtrum medicamenta. Veterum opinio, qui ex quatuor qualitatibus illorum facul-

tates deduxere, dudum eſt exploſa, dum recentiores philoſophi probarunt, qualitates meros percipiendi modos eſſe, ab agitatione & commotione fibrillarum nervearum enatos, neque eſſe quidpiam abſolutum ac reale in objectis exiſtens, ſed tantum conſiſtere in relatione ad noſtros ſenſus, quos hoc vel illo modo afficiunt. Verum hac in parte recentioribus ſubſcribere nequeo, quod omnium medicamentorum effectus ad qualitates ſecundas & ſenſibus manifeſtas, nimirum, ad principium oleoſum, ſalinum, acidum, vel alcalinum, acre, volatile, nitroſum, mucilaginoſum terreum reducant. Quamvis & hoc in multis admitti, & locum habere poſſit, certiſſimum tamen eſt, dari plura medicamenta, quorum effectus ad manifeſtum agendi modum, per principia ſenſibus obvia reducere tanta eſt difficultas, ut nunquam ſuperabilis videatur. Quid eſt, ad luis venereæ fermentum corrigendum, & ex partium latibulis excutiendum, potentius ac efficacius? quam mercurius, cujus tamen virtus minime explicari poteſt per ſal alcalinum, volatile diſſolvens, in ipſo latens, cum ne miculam quidem hujus ſalis in mercurio deprehendere liceat. Emetica antimonii proſapia oriunda, quod perexigua mole propinata, nervoſum ventriculi tunicam irritando, contractione quadam ſpaſmodica vomitum cieant, id perperam adſcribitur ſulphuri volatili acri, cum tamen nulla acrimonia ſenſibus pateat in vitro antimonii, vel ejus regulo; imo multa dantur ſulphurea, volatili ſale acri prædita, quæ id tamen minime præſtant. Pariter minus commode vis zibethi in ſuſcitandis quibusdam fœminis ſpaſmodicis affectibus, & nervorum contradictionibus affli-

afflictis, vaporoſo cuipiam ſulphureo principio aſſignatur. Camphoræ ac opii vires anodynæ & narcoticæ evaporabili ſulphuri à plurimis affinguntur, cum tamen multa dentur vaporoſa, uti v. gr. moſchus Zibethum, quæ ejusmodi effectum non edunt. Contra in hyoſcyamo, ejus ſemine & oleo nihil vaporoſi reperitur, & tamen potentiſſima ſunt narcotica. Denique quis auſit peſtis, morſus venenatorum animalium, e. c. viperæ, venenum per principium ſenſui manifeſtum explicare?

§. IX.

Ex hiſce itaque luculenter patet, minus apte medicos in operatione medicamentorum ſemper laudare principia, in ſenſus incurrentia, & qualitates ſenſibiles ſeu tactiles, nec non ipſa principia chymica. Etenim nemo inficiabitur, ea ipſa quoque multum à ſe invicem diſcrepare, & unum acidum vel alcali præ altero diverſiſſimos ſortiri effectus. Ita in Chymia videmus, ſpiritu ſalis penetrantiſſimo, vel etiam aqua regia diſſolvi aurum, lunam autem ab eodem menſtruo, etſi potentiſſimum ſit, relinqui illibatam. Spiritus nitri butyro antimonii affuſus ingentem concitat efferveſcentiam, ac tumulum, quod tamen non præſtat admixtus ſpiritus ſalis & vitrioli; ſpiritus nitri cum limatura martis confuſus intenſiſſimum calorem cum exhalationibus rubicundis efficit, martemque ſolvit in liquorem rubicundum ex amaro auſterum: contra ſi ſpiritus ſalis affunditur, non tantam excitat ebullitionem, & in liquorem vitriolaceum gratum limaturam ſolvit. Spiritus nitri coagulatus in creta, conſtituit corpus, quod debito igne tractatum in vitro, & in altum

tum elevatum lucem de ſe ſpargit, & dicitur phoſphorus Balduini, id vero nequaquam præſtat ſpiritus vitrioli vel ſalis eodem modo tractatus. Imo praxi liquet, ſpiritum ſalis ad urinam pellendam longe ſuperare alios acidos ſpiritus.

§. X.

Haud abſimili modo ſeſe res habet circa medicamina alcalina, quorum effectus in abſorbtione ac obtuſione acidi quidem conveniunt, nihilominus tamen peculiari quadam virtute differunt. Sic lapides cancrorum deſtillati præbent liquorem alcalinum, & relinquunt caput mortuum leviſſimum poroſum, corallia vero & conchæ calcem acerrimam, cui affuſa aqua communis maximam excitat ebullitionem. Deinde corallia magis ad incraſſandum & adſtringendum, lapides cancrorum autem ad reſolvendum ſanguinem adhibentur. Admirandum eſt, cineres oſſium deſumtorum ex porco & è bove, quamvis, ſenſum judicio, eandem videantur habere naturam, nihilo ſecius tamen valde inter ſe quoad interiorem texturam differre; obſervatur hoc in docimaſticis, ubi capellæ, quarum ſuperficies oſſibus porcorum conſtructa eſt, prorſus inutiles ſunt, nec inſerviunt ſeparationi metallorum nobiliorum ab ignobilioribus; Oſſa autem à bove facta eum in finem aptiſſima ſunt. Quoad ſalia alcaliſata fixa notandum eſt, quamvis omnia videantur ejusdem indolis, & naturæ, diverſos tamen ea in vitris conficiendis producere effectus, dum certum ſal herbarum fixum vitrum præ altero largiatur nitidius ac elegantius, *vid. Kunkelius in arte Vitrar. pag. 17.* Spectat huc quoque experimentum B. Borrichii, notatum in Hermetic

metica ſapientia pag. 352. dum in lixivio variorum ſalium conſpexit cylindros, cubos, pyramides, priſmata, rhombos, & innumera varii generis trapezia. Quod ipſa ſalia volatilia, eorumque effectum in debellandis morbis attinet, nolo hic multa cumulare, unicum ſaltim hoc experimentum luculenter evincit diverſam eorum virtutem. Notum enim eſt, ſi ſpiritus urinæ ſolutioni mercurii ſublimati cum aqua factæ affundatur, præcipitari inde materiam flaveſcentem, contra, ſi ſpiritum ſalis ammoniaci iſti ſolutioni admiſceas, præcipitari materiam albam inſtar lactis.

§. XI.

Ex iis igitur jam dictis liquido conficitur, illos miſere decipi ac hallucinari, qui omnem ſimplicium operationem volunt ex principiis ſenſibus obviis deducere & arceſſere: neque alios recte facere, qui facultates ſimplicium ad morbos domandos idoneas ex corporum ἀναλύσει igne inſtituta extorquere ac in apricum ſiſtere magnopere deſudant, arbitrantes, ignem in partes integrantes & ſimpliciora elementa ipſa corpora reſolvere, quibus dein medicaminis virtus attribui debeat: Verum id dudum *illuſtre Angliæ decus Boyleus in chymiſt. ſcept.* cum aliis neotericis luculenter demonſtravit, ignem non verum ac genuinum eſſe corporum analyſtam, eaque quæ ope Vulcani ex illis eliciuntur, non eſſe pro principiis vel elementis ipſis rebus actu inexiſtentibus habenda, ſed ignem, cujus natura in rapidiſſimo conſiſtit motu, rerum formas potius deſtruere, particulas disgregando, invertendo ſitum ac ordinem, aliam figuram & magnitudinem producendo, quam iſtas in ſua principia conſtituentia reſolvere. Extat hanc in rem

egregius aphoriſmus apud *Angelam Salam*, qui primus inter chymicos ex judicio Rolfincii mentiri deſiit, Sect. I. Res, quæ in igne tractantur, omnes alterationem ſubeant, & de naturali ſui temperamenti ſtatu quodammodo dejiciantur neceſſe eſt, ac magis ſi vel vehementiſſimum eum, vel diutius ſuſtinere cogantur, minus ſi remiſſior fuerit, moraque in eo brevior; nihil quicquam itaque certi de operationibus remedii colligere licet è ſubſtantiis vi ignis extortis, imo ſæpenumero contingit, ut herbæ, quæ vulgo refrigerantes putantur, ut cichorium, lactuca &c. oleum calidum, & ſalvolatile alcalicum fundant, quod tamen calidis annumeratur. Deinde indubium eſt, ac per innumera experimenta evictum, chinam chinæ præſtantiſſimum eſſe febrifugum, quod ſi tamen deſtilletur, ſpiritum acidulum cum oleo pauco empyreumatico præbet, exiſtente capite mortuo nigerrimo: hæcque ſi febricitantibus exhibeantur, ſive ſola, ſive invicem mixta, omni virtute plane ſunt caſſa ac inefficacia.

§. XII.

Nihil igitur ſupereſt, quam ut ſtatuamus, remediorum facultates ac vires ex *κράσει* ſive textura & particularum inter ſe invicem conſtructione proficiſci, quæ in ſic dictis ſpecificis certa & peculiaris eſt. Scimus ex phyſicis, cujusvis concreti formam, virtutem & qualitatem emanare ex certa particularum magnitudine, figura, ſitu; atque ita mechanice omnes formas generari: concreti itaque hujus textura mutata, extemplo alia oritur virtus & efficacia, quod enim antimonium, tutiſſimum alioquin medicamen, vim emeticam à pauca quantitate nitri admixta obtineat, & ſi in majori quantitate

titate nitrum additum fuerit, ea diaphoretica fiat, id unice texturæ antimonii, quoad particularum figuram & magnitudinem, mutatæ debetur. Arſenicum fortiſſimum eſt venenum, cum ſulphure autem vivo liquefactum, omni virulentia exuitur, ac orbatur, ita, ut citra omnem noxam, tuto à brutis devorari queat. Colores à varia mixtura liquorum jucundiſſimo ſpectaculo ſæpius variari poſſunt, & ex fluidis ſolida, & ex ſolidis fluida, ex diaphanis opaca & viceverſa fieri, fere infinita teſtantur experimenta. Simili quoque modo ſe res habet cum ipſis medicamentis, quorum genuina ac nativa vis & indoles ſæpe perit, & per varias compoſitiones, mixtiones, & per ignem tractationes immutatur. Quapropter evidentiſſime concludimus, medicamenta agere ratione mechanica, i. e. ſecundum particularum ſtructuram & motum quem in ſanguinem & humores exercent; quicquid enim medicamenta agunt, id agunt motu, adeo ut ſine motu nulla eorum vis concipi queat. *Galenus* haud inepte dicit, medicamina agere tota ſubſtantia, & quod cineres cancrorum canis rabidi morſui medeantur, totius ſubſtantiæ proprietati aſſcribit l. 2. de ſimpl. medic. facultatibus. Helmontius vim remediorum derivat & arceſſit à ſeminali *κράσει* & rerum forma, quam à primo formarum datore acquiſiverunt.

§. XIII.

Quare abunde liquet, eos maxime falli, qui omnes vires medicamentorum ad qualitates ſenſibus perceptas referre volunt, & qui vim medicamentoſam variis deſtillationibus ac præparationibus prolicere & extrahere enituntur; haud raro enim hocce modo medicamen longe aliam vim acquirit & plane diverſam na-

turam induit: Ita cornu cervi cum aqua coctum dat gelatinam; quæ blande humectat, ac refrigerat, ſi deſtilletur igne aperto fundit ſpiritum volatilem urinoſum, calidiſſimum, qui ſudorem potentiſſime expellit, omnesque humores exagitat. Ita plurima vegetabilia in ſimplici ſaltem pulvere vel infuſo aſſumta longe alias vires in corpore exerunt, quam eſſentiæ & extracta. Imo complures affectus multo felicius ac certius debellari poſſent, ſi facultates ſimplicium exactius eſſent exploratæ ac perſpectæ, quid enim opus haberemus tot decompoſitis? ſi ſimplicia ſufficerent, quippe quæ morbos facilius ac tutius tollerent. Deteſtabilis multorum medicorum eſt mos, quod ſimplicia, domeſtica, εὐπόριϛα negligant & naucifaciant, contra ſpes ſuas inſlent in medendo tot abſtruſioribus medicamentorum ſpagyricorum è regno minerali præparationibus ac ſeſquipedalibus denominationibus, cum tamen ſæpe eveniat, ut anus vel agyrta ſimplici ex herbulis parato decocto plus præſtet, quam magnus chymiater ſuis eſſentiis, elixiriis, panaceis &c. Novi plebejum, qui ſolo pulvere ex plantis parato, maniam feliciter curavit, multis id teſtantibus exemplis. Hedera terreſtris, pulmonaria, veronica, ſcordium tuſſilago, tam in pulvere, quam in infuſis & decoctis propinata in rebellibus chronicis effectibus, viſcerum & vaſorum obſtructionibus, tabe, calculo & ſanguinis impuritatibus ſæpe admiranda & omnem expectationem ſuperantia efficiunt. Porro viſcus corylinus & qvercinus, radix pæoniæ, & pulvis lumbricorum terreſtrium, ad extirpandam in epilepſia materiam peccantem omnibus pretioſioribus præferri merentur, ut ii, qui recte uti norunt, fatentur.

tur. Cortice chinæ de china vix efficacius & præſentius in rerum natura remedium ad febres tollendas dari, nemo ambigit. Aſthma eſſe contumaciſſimum ac curatu difficillimum affectum, nullus practicorum diffitebitur, aqua tamen ex certa herba domeſtica deſtillata, tantæ virtutis & efficaciæ, teſte Excellent. *Dn. Præſide*, eſt, ut ferme ſemper feliciſſimo cum ſucceſſu hoc malum profliget. Semen ſantonici ad lumbricos expellendos eximia virtute pollere, etiam plebeculam non fugit. Os ſepiæ in gonorrhœa benigna, & fluore albo muliebri, ſic inum in diarrhœis, & lymphæ acris ſtagnatione ac eroſione effectum exoptatiſſimum præſtare ſolet. Ipſum caſtoreum in omnibus generis nervoſi ſpasmodicis contractionibus prodeſſe, crocum in pulmonum affectibus excellere, fere omnes qui ſaltim praxin delibarunt, probe norunt.

§. XIV.

Conjicio quidem, hic plures laudaturos manifeſtam operandi rationem, ac relaturos eſſe haſce operationes ad principium terreſte, ſulphureum alcalinum: Verum ii maxime in hoc falluntur. Quanquam haud diffitemur, cauſas morbificas ſæpiſſime peccare manifeſta qualitate, & ipſa quoque medicamenta manifeſta vi agere, neutiquam tamen largimur, efficaciam medicamentorum per principium ſenſibus obvium ſemper demonſtrari poſſe. Ita e. g. caſtoreum, crocus, nuciſta, opium, ſemen papaveris, flores papav. rhæad., camphora, ſemen hyoſcyami, mandagora pollent vi ſpirituum animalium motum, impetumque ſiſtendi, & anodyna, hique omnes effectus vulgo adſcribuntur ſulphuri explicabili in ſubtiliſſimas *ἀναθυμάσεις*; verum horum remediorum operatio multum differt, & unum ſemper quidpiam ſingularius ac eminentius quam alterum habet, cujus ratione certis morborum cauſis, certisque ſubjectis magis vel minus quadrat, etſi effectus in hiſce conveniat, quod dolores mitigent, obſervamus hinc, quando opium contraindicatur, crocum proficere, quando crocus, nuciſtam, quando nuciſta, camphoram, & ita quoque in aliis. Herbæ dantur plures ſale volatili oleoſo fœtæ, quod etiam deſtillatione impetramus, effectum tamen eorum in curando diver-

ſum experimur. Ita mentha ſtomacho gratiſſima eſt, rosmarinus, & flores lavendulæ nervis, origanum & hyſſopus pectori, cubebæ cerebro, ſabina utero, chamomillum Romanum inteſtinis inſigni & peculiari vi ſpecifica proſunt & opitulantur.

§. XV.

Poſtquam ergo ſatis perſpeximus, extare quædam medicamina ſpecifica, quæ mechanice agunt, & certæ ſaltim cauſæ morbificæ appropriata ſunt, haud parva oritur difficultas, annon hæc medicamenta, dum ventriculi digeſtionem ſubire ac ſuſtinere coguntur, & cum variis corporis noſtri humoribus miſcentur, alterationem inde patiantur, & mutata textura vim ſuam medicamentoſam ac ſpecificam amittant. Quod iſtud attinet, dicimus ſæpiuſcule qvidem fieri, ut medicamenti vis & efficacia, pro varia humorum in primis viis ſtabulantium diſpoſitione, vel infringatur ac imminuatur, vel prorſus immutetur ac deleatur Quare tum conſulto ante ſpecificorum uſum primæ viæ ſunt expurgandæ quoniam tenaces viſcidi & acidi humores medicaminis actionem ac ἐνέργειαν multum remorari qveunt. Ventriculi autem digeſtio, cum ea placide fiat, nec magna immutatione opus habeat, ſi qvidem a menſtruo ſalivali ſimpliciſſimo calore accedente ſaltem ſubtiles, activæ, medicamentoſæ particulæ extrahuntur magisque exaltantur, potius vim promovebit qvam refringet. Imo plurimorum remediorum efficacia ac virtus promanat à corpuſculis exiliſſimis, ſubtiliſſimis, ac ſolidiſſimis, qvæ nullum menſtruum & liquor diſſolvere valet, inde integra & illibata manente textura operationes ſuas exerunt, omnesque ac ſingulas corporis partes permeant, qualia ſunt, antimoniata, mercurialia, opiata &c. Denique multorum medicamentorum particulæ ejusmodi ſunt texturæ ac firmioris conſiſtentiæ, ut haud facile alterari vel ullo modo deſtrui queant, ut ſunt ex auro parata, cinnabarina &c. videmus qvoque humores dulces difficillime corrigi & mutari, & colocynthidis perexiguis corpuſculis tantum ineſſe amaritudinem, ut illa vix tolli & aboleri poſſit.

§. XVI.

His igitur declaratis, reſtat jam, ut explicemus, qvomodo

agan

agant & cauſam morbificam expugnent remedia ſpecifica; primo itaqve omnia fere medicamenta imprimis autem ſpecifica agunt diſſolvendo, incidendo, ac colliqvefaciendo humores glutinoſos & viſcidos. Patet autem ex chymia mechanica, corpora ſolida reſolvenda, prout variis poris ac particulis gaudent, varium qvoque exigere menſtruum, quod nempe aptum ſit, ut illius poris ſe inſinuet, eosque diſcontinuet: Ita comperimur, ſpiritum ſalis ammoniaci vinoſum reſolvere omnia olea deſtillata, aquam ſolvere gummata, quæ intacta relinqvunt ſpirituoſa, & alcalina. Aqva frigida albumen ovi diſſolvit, qvod ſpiritus vini coagulabit, lapides cancrorum ſolvuntur ab aceti ſpiritu, qvos ſpiritus urinæ non attingit. Mercurius, qvi inſipidus eſt, in frigido ſolvit aurum, quod aquæforti reſiſtit. Pari modo ac ratione concreta tartarea, terrea, viſcida, ſalina varii generis, quæ obſtructiones ipſosqve morbos in corpore noſtro generant, requirunt certa ac ſpecifica ſolventia, quæ in poros congruos vim exerere, ac agere queunt. Namqve medicamenta agunt inſtar menſtruorum, ſiqvidem ſaliva, microcoſmicum illud univerſale menſtruum, extrahit activas medicamentoſas vires, quibus imbuta, ad obſtructiones morbificas reſolvendas aptiſſima evadit.

§. XVII.

Secundo ſpecifica quædam operantur, laudabiles, elaſticas, æthereas, amicas particulas ſpiritibus animalibus ſuppeditando, qvo pertinent omnia ſic dicta cordialia, ac confortantia & ſpiritibus puritatem conciliantia, uti ſunt pulveres bezoardici ex lapidibus pretioſis, perlæ, unicornu, pulvis bezoardicus Anglicanus, ambra, aqvæ florum lil. convall. primul. veris, roſarum, flor. aurantiorum, anthos, acaciæ, ſpiritus mineralium dulces, & omnia ſvavi blandoqve odore ſpiritus reficientia & excitantia. Quemadmodum autem dantur remedia ſpiritus animales in motu adjuvantia, ſic quoque extant, quæ particulis ramoſis, ſubtiliſſimis tamen, armata ſunt, quæ ligant ipſos & blandum reſtituunt motum, ut ſunt omnia graveolentia anodyna, paregorica, opiata &c. Tertio medicamina, eaqve ſpecifica operationem edunt, peccantem humorem invertendo ac obtundendo. Acidum ab

alcali

alcali poſſe mortificari, notisſimum eſt, ut autem ſalia acida & alcalia multum a ſe invicem diſcrepant, ita quoque manifeſtæ medicaminum qualitates non ſufficiunt, ſed ut huic quidpiam ſuperaddatur, neceſſe eſt, ut ſpecificam medicamento adverſus hunc vel illum morbum virtutem communicet; ſalia tam acida, quam acria ſalina bilioſa, quæ in œconomia animali conficiuntur, diverſisſimi ſunt generis, ut quodvis appropiatum ſuum invertens & corrigens reqvirat. Id circo extra omne eſt dubium, ſal, qvod phthiſin procreat, quod cerebro & nervis infeſtum eſt, quod ventriculo vel inteſtinis grave, quod dentes & gingivas corrodit, quod inflammationes excitat, peculiare & appropriatum ſuum invertens & obtundens requirere. Hoc modo agunt omnia alcaliſata, ſalia volatilia, martialia, metallica, nitroſa, acidula & ſucci vegetabilium varia generis. Quarto ſpecifica ſæpe ægrum juvant & operantur peculiari corroboratione, leni blandaquæ conſtrictione fibrarum nervearum, vaſorumque, ex quibus partes affectæ conſtant. Fit ejusmodi conſtrictione, ut motus inducatur novus, ac vigor ipſi partibus fluidis, & illæ ad motum promtius incitentur quo referuntur omnia balſamica, acidula adſtringentia, ex regno vegetabili potisſimum petita. Quinto agunt irratione ac vellicatione, dum enim partes ſolidæ blande ſtimulantur, contrahunt ſeſe, ſicque impulſus communicatur ipſis partibus ſolidis: uti autem cauſa vellicans differt, ita etiam ipſam remedia. Spectant huc ſudorifera, purgantia, emetica, quæ tamen ſingula ratione virtutum ſunt plane diſtincta. Multa quidem adhuc forent, quæ ad præſentem materiam facerent, verum omnia perſequi & latius diducere & tempus & multa alia prohibent. Quod ſi Deus vitam & aliquando otium dederit, ac ingenium noſtrum inter hæc uſu rerum ſubactius redditum fuerit, prolixius & limatius exponere haud omittam. Jam L. B. hæc ſubitanea & tumultuarie nata æqui bonique conſule, atque ſi forte alicubi hallucinatus fuero, ignoſce, & cogita, humanum eſſe labi, errare. Tibi autem, benignisſime DEUS, perpetuas laudes, gloriam, æternasqve, pro immenſa gratia, infinitisque in me per totam vitam collatis beneficiis, debeo gratias.

(o)